PETRI CARPENTERII I. C.

Epiſtola ad Franciſcum Portum Cretenſem, in qua docetur perſecutiones Eccleſiarum Galliæ, non culpa eorum qui religionem profitebantur, ſed eorum qui factionem & conſpirationem (quæ CAVSSA appellabatur) fouebãt, accidiſſe.

1572.

11

Case F 39 .326 1572c

THE NEWBERRY LIBRARY

51-327

P. Carpentarius. F. Porto. S.

LIs illa tua Sancti Germani planè iacet, & omnino patrono deſtituta eſt. Nam Sceua, qui tuum negotium me abſente procurabat, ſubita morte occidit, & ego ipſus qui hæc ad te ſcribo, mortuus ſum: nam tertiùm exul ex Gallia in Germaniam factus ſum, Exilium autem in noſtris libris, ſpecies mortis eſt. Sed hoc vnum vereor, mi Porte, ne exteræ gentes authoritate philoſophorum, qui eos qui meritas dant pœnas miſericordia indignos putant, permotæ, vbi intelligent nos non propter religionem (vti anteà) ſed propter Cauſſam patria expulſos eſſe, nos à ſuis tectis atque finibus vti deteſtabiles prohibeant, nobíſque omnia hoſpitalitatis & humanitatis officia, cum conuitio atque contumelia denegent. Cui rei vt occurram, & me tibi & omnibus bonis per Germaniam & Heluetíam de hac Cauſſa expurgem, te certiorem facere volui hac epiſtola (pingui Minerua, & nouo ſtyli genere conſcripta) me Cauſſam illam, quæ fundi noſtri calamitas fuit, nunquam attigiſſe, eíque

nomen nunquam dediſſe,& ab ea ſemper tanquam à fœdiſſima peſte abhorruiſſe. Quid enim cõmune habuit Cauſſa? (quæ nihil aliud fuit, quàm quorundam noſtrorum hominum, qui pace vti, & quietè viuere noluerunt, illicita coitio & factio ad interturbandam trãquillitatem publicam cõtra leges & edicta Principis inita) cum mea natura pacatiſsima, & cum mea Iuris profeſsione, quæ tota verſatur in cultura & veneratione legum, & ſeditioſis & legum contemptoribus grauiſsimas dictitat pœnas: Chriſtianam libertatem datam à Rege CAROLO vti ſummum & ſingulare Dei beneficium tam diu & tam auidè à maioribus noſtris exoptatum amplexus ſum, inquinatæ verò illi Cauſſæ atque perditæ, repudium miſi continuo, vbi comperi eam ad verum Dei cultum non pertinere, ſed ad rebellionem ſpectare: eíque nunquam faui, ex quo animum & fidem erga Regem, quam nemo verè Gallus niſi cum anima amittit, ea labefactari comperi. De cœlo deſcendiſſe Carolum Regem putaui, qui ardorem illum flammarũ, qui nos ſub auo & patre eius adurebat, reſtingueret: Quòd ſub illius ditione in vmbra

viuere & otio daretur, contentus fui, illis verò Cauſſæ cultoribus, qui aliud præter religionem tentarent atque molirentur, & nouis rebus darent operam, eam calamitatem & tempeſtatem, quæ nos illis inuolutos nouiſsimè oppreſsit, ſæpius denuntiaui, quod ipſi Cauſſæ ſtudioſi qui ſuperſunt, negare non poſſunt. Oppreſsi itaque ſumus. Si cauſam quęras particulatim, nullā ſcimus. Hoc ſolùm ſcimus, nos periiſſe, & funditus periiſſe, niſi nos Deus reſpiciat. Sed hoc vnum me malè habet, nos alieni peccati pœnas luiſſe, & moleſtè ferimus, nos, qui quieti & pietati ſolùm incumbebamus, naufragiū vnà feciſſe cum ſeditioſorum caterua, cui nos nunquam immiſcueramus, & à quibus omnino re & animo diſiuncti fueramus. Quid, quo magis intelligas, Scito notam, qua noſtri ab illis diſtinguebantur, hanc fuiſſe. Noſtri mites, manſueti, præſenti fortuna & benignitate Principis contēti, religionem & pacem publicam propagari cupiebant. Illi contrà, turbulenti, elati, conceſſa religionis libertate non contenti, omnia mutari volebant. ſeditionibus alebantur, incerta pro certis captabant: denique ſignis,

quibus pij à perditis ſeparantur in ſacris libris,iiſdē nos ab illis ſecernebamur. Con uētus Cauſſa aſsiduè habebat, in iis nullū verbum de Deo,pace,& tranquillitate tractabatur: de bello, de ſuſcitando tumultu verba erant.Publicè religionē præſeferebāt,in abdito, remotis arbitris, nihil aliud quàm arma & bellum ſpirabāt, Et,vti Minos & Lycurgus,ſummam ſuæ Reipub.in armis ponebāt,ſic iſti ſuæ Cauſſæ omnem ſpem in re bellica collocabant: nec contenti præteritorum bellorū calamitatibus, quibus Gallia vaſtata adhuc iacet, gladio volebant (vt verbo Samuëlis vtar) perpetuò Galliam deuorare. Prætextus tamen hîc erat, ſeſe velle Eccleſias in plenam libertatem vindicare,quā dicebant ſe non habere ex edicto pacis.Iſtis conatibus nefariis viriliter nos opponebamus, eramus enim multi benè ſentientes,tranquillitati & veræ pietati addicti, qui arma deteſtabamur,maximè Ciuilia,in quibus ſemper „(vt loquitur Scriptura) amaritudo eſt in nouiſsimo: & conſulebamus cōcordiæ & trāquillitatis ſtudium, &ab armis abhorrētes, lanceas in vomeres, & gladios in ligones conuertendos putabamus.Et dice-

bamus illos nullo duci zelo vindicãdæ libertatis Chriſtianæ,ſed illam honeſtã ſpeciem libertatis ab illis falſò prætexi tegendæ conſpirationis ſuæ gratia, & futurum eſſe,ni à cœpto deſiſtant,vt Dominus illos tanquam parietes dealbatos breui percutiat & vlciſcatur,quia de illis ſcriptum eſt, prætextum habentes malitiæ libertatem. Nam nullo vnquam ſęculo magis fuit plena pax Eccleſiis data, quã ea quæ fuit noſtris temporibus, clementia Caroli Regis in Gallia conceſſa,ita,vt verè potuerimus dicere,quod dicit Nicephorus de alta illa pace Eccleſiarum,quæ fuit ſub Imperatore Martiano, renouata fuiſſe aurea ſæcula noſtris tẽporibus. Pacẽ quàm maximam & tranquillitatẽ fuiſſe in Eccleſiis teſtantur hiſtoriæ à Galieno vſque ad tempora Diocletiani. Illius gloriæ & felicitatis Eccleſiaſticæ hæc ab Euſebio ſũma enumerantur capita. Imperatores cõmendabant principatus Gentium Chriſtianis, Edictis ſuis libertatem & ſecuritatem illis concedebant. Hæc nos habuimus,& illis multò maiora. Et ita nobis beneuolũ habuimus Regem,vt Papiſtæ nobis inuiderẽt,& nos illis prælatos eſſe,grauiter quererẽtur, ſéque,vt religionis antiquæ filios,Regis pri-

mogenitos, nouę religionis poſthumis hominibus, ſecundum antiquam legem Dei poſtponi non debere, vulgò dictitabant. Paſsim illorum cōcionatores de nobis dicebant, quod Tribus Iuda dicebat de decem Tribubus, quas pręlatas ſibi à Dauide dolebat, Furati ſunt cor Regis. Et ſanè optimus ille Princeps, ita æquo & placido animo in nos fuit, vt nemo ex noſtris negare poſsit, niſi tetro illo Cauſſæ veneno ſit infaſcinatus, Principem omnibus virtutibus inſtructiſsimum ita propéſo animo in nos omneis fuiſſe, vt illos ipſos Cauſſæ principes & motores. quos ſciebat quotidie cōuentus illicitos agere in ſuam & regni ſui perniciem, humaniter exciperet, & omnibus in rebus ornaret, quò officiis ſuis humaniſsimis eos à cœpto maleficio detraheret; imitatus ea in re Auguſtum, qui cū audiſſet Cinnam nepotem Pompeij ſibi parare inſidias, eum ad ſe euocatum humaniſsimè tractauit, propè ſe ſedere iuſsit, & Conſulatum ei obtulit, quo animum illius leniret & ſibi conciliaret, quod etiam eſt conſecutus. Sed hæc omnia cùm nos fieri videremus prolixiſsimè à Rege, & illos obſtinatos Cauſſarios nihilominꝰ permanere in ſcelerato ꝓpoſito intelligeremꝰ, oīm

noſtror-

noſtrorum oculi dolebāt, & cogebamur cum ipſis Papiſtis confiteri, Regem omnibus virtutibus expolitum Theodoſij Iunioris, & Alexij Commeni Impreatorum vitio laborare, videlicet nimia clementia, propter quam Dominus (vt teſtatur Scriptura) Reges olim de regno deturbauit, Et, quamuis Rex patriam religionem retineret, nunquā tamen malè de noſtra religione loquutus eſt, & honeſtis nominibus nos & noſtram religionem appellauit, & nominauit, tum publicè tum priuatim, & ab illis vocibus, quibus à Papiſtis proſcindebamur, (qui nos hæreticos, ſeditioſos, perduelliones eſſe dictitabāt) ſibi tē pauit, & alios edicto ſuo tēperare iuſsit: neque re, neque verbo nos & noſtros miniſtros offēdi voluit. Et de noſtris miniſtris renouauit noſtro ſæculo edictū illud piū & celebre Valētiniani impreatoris, qui miniſtros Eccleſiæ vti operarios in agro Chriſti & magni Regis procuratores irritari, & ipſo etiam verbo exagitari vetuit, In componendis Edictis pacis, verba aliquantulum in nos aſperiora deleri, & mitiora, & quæ nullam offenſionem in ſe continerent, in illorum locum ſubſtitui voluit, ne

videretur, quos edictis ſuis vti fidiſsimos ſubditos amplectebatur, verbo notare. qua in re clementiſsimus Princeps indicauit, vti in multis alijs rebus, ingenij ſui candorem: & quàm alienus eſſet ab illis principibus, qui, quos re aliquo beneficio afficiunt, in ipſo conferendo beneficio eoſdem verbis ſugillant. qua in re merito reprehenditur Nerua, qui cum pacem Eccleſijs Chriſtianorum daret, & Chriſtianis reis libertatem concederet, edictum ſuum ita concepit, Seſe velle, vt omnis impietatis rei abſoluerentur: quo verbo veræ pietatis cultoribus, impietatis maculam ſuo illo beneficio aſperſit. Denique in cauſsis & litibus noſtrorum & Papiſtarum dijudicandis, de quibus Maieſtas ſua cognouit, ita ſe æquum nobis reddidit, vt Papiſtæ non leuiter ea de re obmurmurarent, & Regem non alienum eſſe eo nomine à noſtra religione ſuſpicarentur. Sic enim Alexandrum Seuerum, quòd Chriſtianis in litibus priuatis æquior eſſet, multi olim Chriſtianúm eſſe putarunt. Sed bonus Princeps quanuis intelligeret populum imbutum mala opinione de religione ſui principis, inuitum ei parere, &

ab eo plerunque abalienari,quòd facilius toleret corruptos mores quã corruptam doctrinam principis, exẽplo populi Conſtantinopolitani, qui Baſiliſco, qui corruptam doctrinã tenebat,relicto: Zenonem corruptis moribus,(ſed qui integram religionem profiteretur)ſibi Imperatorem retinuit, atque tolerauit. audierat quoque temporibus Lotarij Regem Bulgariæ propter eam cauſsam ſeditionibus ſuorum ſubditorum afflictatum,de regno penè in periculum veniſſe,tamen his rebus atque periculis non contemnendis, Rex nobis immutatus non eſt, neque deſtitit omnibus in rebus ſignificare quàm nos charos haberet, & nobis omnia etiam vltra præbere,neque vt Papiſtis placeret, à quibus valdè vrgebatur, nobis diſplicere voluit, Et illorum querelas vel prudenter diſsimulauit,vel viriliter compeſcuit. Et,cum Principes viri religionis Papiſticæ in Cõſilio priuato, de Statu & tranquilitate regni conſultaturi, ſæpius illi ſententiam illam Diocletianj inculcaſſent,Regnum ad priſtinum ſtatum reduci nõ poſse,niſi diſſimilitudines religionum è medio tollantur, & omnes ad antiquam & Papiſticam

religionem cogantur, & auſpicijs patrijs & antiquis Rempublicam benè adminiſtrari & conſeruari poſſe, & ipſum regē ad tollendam nouam & peregrinam religionem manum ſuam apponere debere, & imitari L. Emilium Paulum Conſulem, qui cum Senatus Iſidis & Serapis fana peregrina diruenda cenſuiſſet eá, que nemo opificum attingere auderet, poſita prætexta ſecurim arripuit, templique eius foribus inflixit: ita Regem facere debere dicebāt,&ad id multis alijs rationibus eum impellebant. Sed ille Edicti Pacis & propoſiti tenax, illos audire noluit, quinimò illis reſpondit, quod Imperator Michael olim reſcripſit Nicephoro, qui eum per literas incendere volebat in eos, qui nolebant imagines colere. Ego neminem ad religionem cogo & inuitum ádigo, Monachis, Sorboniſtis, & alijs eius generis, qui ſæpius eum accurata & acerata oratione in nos inflāmare voluerunt, reſponſum dedit tumultuoſis hominibus digniſsimum, quo vſum ferunt Iouinianum Imperatorem ad Macedonianos, qui orthodoxos varijs calumnijs ſibi infenſos reddere conabantur, Se contentiones dete-

ſtari,& concordi ſententia coniunctos & pacificos diligere & venerari. Et quemadmodum idem Iouinianus Lucio preſbytero Alexandrino, qui frequentibus literis ad eum miſsis Athanaſium orthodoxum antiſtitem criminabatur & acriter incuſabat, mandauit vt quieſceret: ſic horũ hominum in nos ſcripta diffamatoria, & quæ ad tumultum ſpectabant, comprimi voluit, & authoribus ſilentium indixit. Denique, omnibus in rebus tanta fuit in nos Regis noſtri humanitas, vt verè prædicare potuerimus, quod aliàs à quodam dictitatum eſt, de ſummo otio eccleſiarum ſub Mauricio. In Eccleſia domini pietas & felicitas coierãt. Antiqui enim cũ ſũma & ſæua tempeſtate eccleſias affligi dicere voluerunt, notarunt non licuiſſe eccleſijs conuenire & conuocare Synodos, qualia & fuerunt tẽpora ſub Licinio. Contrà, vbi ſummum otium & magnam tranquillitatem eccleſiarum deſignare voluerunt, diuerſas & frequentes Synodos fuiſſe dixerunt: qualia fuerunt tempora ſub Commodo. Libertatem, ſecuritatem, frequentiam Synodorum omnẽ habuimus, neque antiquitas maiorem vnquam habuit.

quod tu etiam planè noſti, Porte: Nam ex veſtris regionibus ad conuocandam Synodum, & vti illi præeſſet, cum dolore & offenſione piorum omnium, venit bonus ille veſter paſtor, qui Cãdidam colit, & præter eam nullũ putat eſſe numẽ. Cũctantem Senatum in publicatione edictorum pacis & noſtræ libertatis, quò res maiorem authoritatem haberet, ad id coegit & adegit. Senatus veterum legum authoritate ſeſe ſuſtentabat, exemplo Senatus Romani, qui cùm Appollonium Chriſtianum contra nouas leges Antonini, quæ vetabant quenquã propter religionem Chriſtianam fieri reum, capitali pœna affeciſſet: hac excuſatione vtebatur, Seſe habere veteres leges, quæ Chriſtianum confitentem elabi non patiantur. Sed eiuſmodi excuſationes bonus noſter Rex nõ probauit, non recepit: noua edicta, nouas leges veteribus potiores eſſe, & ex illis iudicari & ius dici voluit. Et, cùm intellexiſſet hãc publicationem edictorũ quoſdam iniquo animo ferre, & in illum uulgò iactare quod olim in Maximinum edicta pro libertate Chriſtianorum publicari iubentem iactitatum eſt, Principi illa edicta

placere per errorem.illis vocibus percitus optimus Princeps, quô ſe nulla ignorantia, nullo errore, nulla captione inductũ, in ea re ſancienda & conſtituenda populum doceret, ipſus edictorum publicationi adeſſe interdum voluit, & ſæpius de rationibus initæ pacis & ſui edicti orationes accuratas habuit. Inter cœtera edicta quæ antiquitùs in fauorem Chriſtianorũ proferũtur, illud maximè celebratur, quod Maximin⁹ moriturus promulgari voluit, vt Chriſtiani omnes reſtituerentur bonis ac fortunis ſuis, vel à fiſco vel à ciuitatibus occupatis, vel aliàs diuenditis, vel cuique dono datis, ſine aliqua pretij numeratione, quo edicto fauit Maximinus Chriſtianis cum iniuria & damno tertij emptoris & poſſeſſoris cõtra bonum & æquum. Sed illius edicti commoditatem nullam ſenſerunt Chriſtiani ſub Maximino, néque eo mortuo. Sed nos illius fructum percepimus vberrimum benignitate noſtri Regis, qui nunquã conquieuit, niſi ea re cõfecta, & nobis omnibus omninò reſtitutis, & bonæ fidei poſſeſſoribus ſpoliatis, etiam nulla numerata pecunia. Noſtræ verò religionis hominibus qui perſeueraſ-

ſent,plus credebat & fidebat quàm illis, qui modò harum,modò illarum partium variaſſent: quòd putaret prudentiſsimus Princeps illos in pectore colluuiem quãdã impietatis ex multis religionibus cõpactã geſtare. & ita dũ ferè illos in nullo precio haberet,tacitè illorum inconſtantiam notabat,exemplo Leonis imperatoris,qui Zenoni,eò quòd variaſſet in religione,imperium credere noluit: ſed eius filium, quòd eo vitio non laboraret,ſucceſſorem ſibi delegit. Qua autem comitate atque liberalitate legatos Principum Germaniæ, qui religionem noſtram profitentur,pro nobis & noſtra libertate ad illum verba facientes exceperit, omnes ſciunt, & ipſi legati cũ donis & facili impetratione poſtulatorum honorificẽtiſsimè dimiſsi teſtari poſsunt. Religionis noſtræ liberum excercitium, & omnem ſecuritatem illis pro nobis rogantibus liberè ſpopondit, nulla cunctatione, nulla mora vſus eſt, nullas conditiones adijcere voluit, & noluit apertus & liberalis Princeps imitari Hunnericum Hundrium Vandalorum & Alanorum regem, à quo cùm imperator Zeno pacem Chriſtianorum eccleſiis

& nominatim eccleſiæ Carthaginenſi per legatos petijſſet, conceſsit ille quidem Chriſtianis ſuæ religionis exercitium per omnem ſuam ditionem, ſed ea lege, vt viciſsim ſuæ ſectæ homines in vrbe Conſtātinopolitana & per Orientem ſua ſacra tractare poſſent. Sed liberalis Princeps reciprocis illis petitionibus non omnino iniquis & alienis vti cum principibus Germaniæ néque cũ Regina Angliæ voluit. Sed plenam illis rogantibus nobis libertatem conceſsit, ſine aliqua exceptione atque conditione. Neque noſtris ſuccenſuit, quòd extraneos Principes ſollicitarent ad cauſſam ſuam agendam. Diffidere enim quodammodò videntur de humanitate ſui Principis qui per alium petunt, quod ipſos petere decebat: Suſpicioſis nāque principibus hæ res non leues ſuſpiciones inijcere ſolent: Sed bonæ indolis Princeps nihil ea re offenſus eſt, quam alij Principes ſolent iure ſuo in ſubditos vindicare. Nefas enim eſt, ſubditos quicquā negotij tractare cum extraneis, inconſulto & inſcio ſuo Principe. eóque nomine Theodorus Antiochiæ epiſcopus iure in exilium miſſus eſſe dicitur, quòd vnam

ſolam epiſtolam ad Conſtantinum miſiſſet clàm & inſcio principe Arabiæ, ſub cuius ditione viuebat. Sic etiam Sapor Perſarũ Rex, Simeonẽ Epiſcopũ expulit, quòd Romano imperatori nimis gratus & familiaris eſset. Sed hoc totũ neglexit Rex, & aduerſus nos quos amabat, exẽplo Ageſilai Regis, noluit eſse iuſtus & ſuo iure vti: In cõſeruanda pace inter nos atque Papiſtas omninó incũbebat, & ita moderabat habenas, & mediam qãdã viam tenebat, vt duorũ religionum curſus in ſuo regno tranquilliſsimus eſſet remque omninò difficilem, nobis facilẽ ſua prudentia atque vigilãtia exhibuit Tẽporibus Rhotarii regis Lõgobardorũ, edictum promulgatũ fuit vt in omnibus eccleſiis Italiæ, duæ eſſent eccleſiæ, duo antiſtites, alter Orthodox⁹, alter Arrian⁹. Pax fuit in Italia inter duas eccleſias, quandui Rhotari⁹ voluit eſſe pacem, atqui Rhotario immutato, pax eccleſiarũ corruit Rege ad conſeruandã pacem, authoritatem ſuam non interponente. Sed noſtra Pax, non Regis, ſed noſtro vitio, noſtris factionib⁹ ruinã paſsa eſt Nam Rex ſemper eandem mentem atque volũtatem conſeruandi Edicti retinuit, &

per eũ ſẽper nobis licuit beatã & tranquil lã vitam trãſigere. Quibus autem artibus atque factionibus & ſceleratorũ hominũ machinationib⁹ ex tãta felicitate & ex tanto otio, præcipites deturbati fuerimus, paucis accipe. qua in re, ne quid à me confingi dicatur à maleuolis, qui apud vos nidificãtur, teſtor me corã Deo loqui, & nihil ad gratiam regis vel cuiuſquã odium vel inuidiã dicturũ. Qui meos mores planeè perſpectos habent, norũt me acerrimũ mendaciorũ & vanitatis hoſtem: noui enim mendaciũ à Theologis adſcribi diabolo, & à Philoſophis cõnumerari inter res turpes. Auguſtinus volens docere ex factionibus & ſeditionibus Iudæorũ quas in ſua Sinagoga fabricabãt atque cudebãt natas fuiſse omneis eccleſiæ perſecutiones, Sinagogã Iudeorũ perſecutionũ ſentinã appellat. Sic nos CAVSAM illã tetram, & nefariã, quæ exitii noſtri cauſa fuit omniũ noſtrarũ perſecutionum fontẽ & ſcaturiginẽ meritò appellare poſſum⁹. Petulentia, proteruia, conſpiratio noſtrorum hominum, qui Cauſsam illam perditis rationibus promouere cupiebãt, nos libertate Chriſtiana, patria, & fortunis priuauit.

Nóſque innocentes cum nocentibus atque nefarijs in iſto tumultu immixti pœnas luimus,& iram Regis ſuſtinuimus. Sic olim Iudæi apud Principes Ethnicos ſuis turbulentis ingenijs iram Principum in ſe & in Chriſtianos concitarùnt, ita vt ex alterius culpa vtrique axpellerētur. vti factū eſse temporibus Claudij teſtantur hiſtoriæ: & tēporib⁹: Traiani propter ſeditionē Iudæorum Chriſtiani quoque, quamuis innoxij, ciuitate eiecti ſunt vti oſtes Reipubl. authoritate Senatus. Et cum Iudæi natura ſeditiòſi atque rebelles, Chriſtianos ad defectionem principum & ad rebellionem impellere non poſsent, eos vti acerrimos perſequebantur, teſte Iuſtino in Colloquio cum Tryphone. quod eò ita proceſsit, vt tēporibus Adriani, cùm Barochabas Iudaicæ factionis Dux Chriſtianos, qui nefas eſſe putabant ſeſe poteſtatibus ſuperioribus opponere, ad ſeditionem cōtra Romanum militem armare non valuiſset, in ipſos Chriſtianos irruit, & miram crudelitatem in illos exercuit: Sic iſti Cauſſæ ſectatores, quòd cuperent cauſſam à ſe malè inſtitutam, noſtro ſanguine defendere, ad arma capienda & ad

ſuam cōſpirationem nos adigere fruſtra tentarunt. Qua re grauiter infenſi, quos ferro uulnerare non poterāt, verbo & cōuicijs paſsim iugulabant: maledicta & conuicia quæuis in nos ſpargētes, quo peius ipſis papiſtis odiſse cœperant, ſicque, quòd recuſaſsemus ſocietatem ſuorum ſcelerū, ab illis omninò diſiuncti eramus. ſumma erat inter nos contentio, & animorū diſtractio. Nos exemplo Lacedæmoniorū Muſis, & non Marti, ſacrificandum putabamus, hoc eſt, Papiſtas à nobis alienos, omnibus honeſtis pactionib⁹ & officijs, nobis conciliandos eſſe dicebamus: neque cōuicijs neque armis vlla ratione prouocandos. Illi contrà, quauis vià, vel voce vel manu Papiſtas hoſtili animo impetēdos dicebant, & furori dandas eſſe habenas prædicabāt. buccinámque illam Sebæ hominis ſeditioſi, qua ad incendendā ſeditionem & ad auertendum animum populi à rege Dauide vtebatur, perpetuò in ore habebant. Pacē & concordiam piè & Chriſtiane nullā inter nos & papiſtas coagulari poſse predicabant. id, ne accideret vti cauſæ exitioſū, omni ratione precauēdum denuntiabant authoritate nouæ cu-

iuſdã Theologiæ ex fœdiſsimo illo lacu Cauſsarum & ſeditionũ fodina extractæ, confirmabant. Et, qui animos quieti populi ad ſeditionem excitarẽt, diſpoſitos habebant in eam rem aptos miniſtros, in eadem ſchola nequitiæ edoctos, qui multa bona & quieta ingenia furioſis ſuis cõcionibus à ſana mente tanquam ab ſtatione deturbabãt. Xenocratem ferunt oratione ſua diſsolutorum auditorum cor ita perſtrinxiſse, vti ex diſsolutis tẽperantes multi euaſerint illo audito: Sed ab harũ furiarũ concionibus, nulli meliores, nulli modeſtiores: ſed ex modeſtis & quietis multi furore illo perciti, ad quoduis ſcelus perpetrandum audaces & feroces euaſerunt. Incidimus fortè ego & Petrus RAMVS vir pius & à Cauſſa alieniſsimus, in eiuſmodi miniſtrũ debachantem in Papiſtas, & ſuos ad turbam & rixam incitãtem, coacti ſumus exire. cum graui animi offenſione & non obſcura in illum obmurmuratione. Qua re offenſus bonus ille vir, de ea re nobiſcum poſt concionem expoſtulauit. Cui nos reſpondimus, In hiſtoria eccleſiaſtica laudatur Valentinianus Præfectus Iuliani (qui poſtea fuit ĩperator) quòd

cũ Iulianũ comitaretur in Fano Fortunæ, & ædituus qui in limine tẽpli aquã luſtralẽ ſpargebat, illius chlamydi guttã vnã ſparſiſset: pugnum illi inflixit, quòd ſe hominẽ Chriſtianũ aqua illa Ethnicæ ſuperſtitionis non purgari, ſed pollui diceret: Sic nos ſi tibi virus Cauſsæ tuæ & ſeditionem ſpargẽti, quòd aures noſtras polluiſses & offẽdiſses, plagas & pugnũ impingeſsemus, rẽ te & tua dementia digniſsimam omnes à nobis factã predicarent . Sicque hominẽ grauiter obiurgatũ dimiſimus. Illorũ miniſtri nihil non faciebant, quo pacem publicam oppugnarent & tumultum excitarent. Habebamus nos contra multos viros bonos, doctos & pios ex miniſtris cauſſam deteſtantes quos illis & illorum conatibus pro muro opponebamus . Spinam , Roſerium , Albracium , Capellum, Haium, Mercurium & alios multos, quos veſter ſumnus Pontifex , qui in lectione laſciuorum pœtarum & Rabeleſij tantum in impietate profecit, vt pietatẽ nulla ratione guſtare poſsit, oderat, deteſtabatur ſuaque cenſura vti cauſsæ de ſertores, notarat. Cauit enim ille in ſuis Decretis, vt quiſquis ſeſe ſacramento Cauſsæ alligare

recuſat,anathema ſit.Sed nos illius cenſuris contemptis, omnem nauabamus operam, ne hoc publicum malum Cauſsæ vires caperet, & vt opprimeretur. Et ego homo publicis occupationibus patrocinij implicatiſsimus, quicquid mihi dabatur otij, ad illam furiam debellãdam, impendebam. Ratio verò quæ interalias me magis ad iſtam Cauſsam deteſtandam & opprimendam incendebat, erat hæc vna maximè, quòd eos qui cingulum illius perditæ cauſæ accepiſsent, continuò ita immutatos videbam, vt eos nũquam Gallos fuiſse exiſtimares, ita de Rege & Galliæ Principibus malè loqui, malè ſeutire incipiebant, & ita exoſam habebant gen VALLESIAM, vt illam ſolùm nominari præ horrore iniquo animo paterentur. Ego, cùm tantam & tàm à Gallorum animis atq; moribus alienã mutationẽ videre ſuſpicatus ſum Sacrificulos illius nefariæ Cauſæ, nullos in album Cauſsæ recipere, niſi eos qui prius cor (in quo omnibus Gallis lilia & amor ſui Regis altè inſculptus eſt) ſibi extrahi paterentur. vti Nahas qui nullis aliis conditionibus Iabenſes recipere voluit, niſi paterentur dextros ſibi oculos exſculpi.

Et

bis maximè ſceleratas ſuas cogitationes tegeret, à quibus non minus quàm à Papiſtis timebat, quòd ſciebat nos ſoli pietati atque quieti vacantes, illum & ſuas machinationes deteſtari. Sed cùm ego & nōnulli ex noſtris, rumoribus & ſuſpicionibus & ſatis certis indiciis accepiſſemus, eum apertè Regis caput petere, & Galliæ ſtatum euertere conari, ad eum ſæpè ante hanc nouiſsimam conſpirationem acres & minaces literas, quibus ei denuntiabamus nouum opus, &, vt à diabolico & ſeditioſo ſuo opere deſiſteret, & vt pateretur nos perfrui pace & quiete Galliæ, neque Galliæ negotiis ſeſe admiſceret, præſcripſimus. Sed tandem effugere non potuimus, quin iſte teterrimus hoſtis Galliæ & publicæ quietis, nos in has calamitates & amariſſimas amaritudines coniecerit cum iſta funeſta ſua cauſa. Cuius ipſe prima fundamenta iecit authore & impulſore Sathana. Ille interea os ſuum nunquam offert periculis, procul è terra ſpectat Neptunum furentem. In conuiuiis & cauponis voluptatibus perfruitur, intereà dum nos lachrymamus & exulamus propter ſuum ſcelus.

Vbi accipiebat nos in Gallia quietam vitam degere, vbi intelligebat nebulas nullas ſeditionum & tumultuum in cælo Gallico apparere, dolebat & valde ægrè ferebat. Continuò ad excitandos tumultus & ad reponendam diſcordiæ aram, audaciæ & furoris ſui ſatellites atque miniſtros nouos in ſubſidium mittebat. At, vbi audiebat cædem aliquam in Gallia factam, tumultuatum eſſe & conflictatum, noua illa dulciora melle (vt loquitur Homerus) in pectus eius defluebant. Hoc enim ei à natura datum eſt, vt libenter oculos ſuos, tanquam alter Alpius, paſcat humano ſanguine. Itaque vbi accipit Gallos Barbarico & belluino more ſeſe ſauciantes atque trucidantes, hoc nuntio recreatur humaniſſimus iſte paſtor atque epiſcopus. Edictis ſuis de re bellica, Papiſtas omnes ad vnũ trucidari iubet, aliquo illorum ſuperſtite Cauſſam ſuam in tuto eſſe non poſſe putat Monachis & Papiſtarum ſacrificulis teſticulos adimi iubet, illis puteum ſeſe velle complere dicit, vti olim conſtituerat facere Alachis Longobardorum Tyrannus, niſi eum fata eripuiſſent. Nos verò, qui Cauſſę adſcribi recuſaſſemus & ab ea nos

diſtraxiſsemus, proſcribendos & in longinquas terras ablegãdos putat. Hæc omnia ſi ſuccedant illi nefario tyranno ex animi ſententia (quod Deus auertat) dicendum illi erit, quòd quidam Syllæ modum proſcribendi non facienti, dixit. Cum quibus viues in Gallia? Nam qui ſuperſunt ex cauſariis, vix vnam vel alteram Galliæ ciuitatem habitare & colere poterũt. Sed illius cæca mens nihil horum videt, tanto in Regem & regnum odio percitus eſt, vt ſolitudinem & vaſtitatem Galliæ quibuſcunque rationibus petat. Et, ſi illi bono Pontifici atque prophetę Deus vim illam admirabilem verbi (quæ gladij vim habebat) qua Petrus occidit Ananiam & Sapphyram, & Paulus excæcauit Elymam, dediſſet, bone Deus, quantas ſtrages daret in Gallia. Totam Galliam homo furioſus vno ictu iugularet. Sed quoniam vi aperta in Galliam & in nos illi ſæuire non datur, non intermittit clanculum illius ruinam moliri, & cùm videret ſuos emiſſarios per Galliam diſpoſitos, non ſatis & ex animi ſui voto, opera & induſtria ſua Cauſſam & ſeditionem promouiſſe, poſt multas illorum obiurgationes, ipſus tandem ſpecie

& prætextu Synodi Generalis, quam habuit ex multis ſuis concionatoribus colle ctam, (non vt de religione ſed de Cauſſa tractaret) venit. Cui conuentui vti illegitimo & ſcelerato, & ad ſeditiones fouendas & alendas per Gallias coacto, omnis miniſtri Galliæ, qui è purioris religionos partibus ſtabant, remotiſsimè à Cauſſa & à factione reſtiterunt, & in factionem & temeritatem illius librum parabat doctrina & pietate plenum Petrus Ramus, quo docebat, illum clāculum & veluti per impluuium in Gallias veniſſe, vt Thalmud illud Sabaudicum nobis pro vera & pia religione obtruderet, & incendia & ſeditiones per Gallias diſſeminaret. Illum librum breui edidiſſet Ramus, niſi in iſtis calamitatibus occubuiſſet. In iſtius Synodi conuentu ſecretiore, ſolis Cauſſariis & illis fidiſsimis admiſsis, hoc nominatim edixit, conquiri vndique debere maximam vim pecuniæ ad neruos belli, & in eam rem author fuit, vt quiſque vendat quod habeat, & vt ea pecunia quamprimùm in ærarium Geneuenſe, & in publicam men ſam nouiſsime in hos vſus inſtitutam, cóportetur. Se reliqua, quæ ad euocandum

contra voluntatem Regis, & ſine aliquo illius mādato, profundebatur & in malos vſus abſumebatur ab iſtis Cauſſariis. Nam ex ea multi inutiles, & vita, propter turpitudinem & ſcelus indigniſsimi ſplendidè & magnificè alebantur. Qua de re proferam tibi exemplum vnum in aula ſatis notum. Venit ad me ex Vaſconia propter litem quidam homo miſerrimus, ſquallidus & pannis obſitus, cui ego mutuam pecuniam dedi, vt in diem viueret. Ille propter veterem conſuetudinem ſtupri quam habebat cum vxore cuiuſdam Cauſſarij, ſeſe per illam ad Cauſſam intromiſit, continuò factus eſt nobis nouus, & incognitus homo magnificè ornatus & multis ſeruis comitatus, nobis repētè apparuit, pecuniam grandem in omnes luxuriæ & voluptatis vſus profundens. Rogamus à quibuſdam quis tam repentè ex tanta miſeria eum erexiſſet & beaſſet? Reſpondent Cauſſam feciſſe. Quærimus rurſus cur homo nullius precij & infra omneis homines, tam gratus & acceptus eſſet Cauſſæ Principi, vt ab eo ne latum quidem digitum diſcederet? accipimus eum operā ſuam ad homicidium quodcunque patrandum pol-

licitum fuiſſe. Et quùm id intellexiſſem, ſæpius obiurgaui Cauſſarios aulicos, quòd illos non puderet homines flocci & nihili & omnibus vitiis & probris coopertos, impẽſis publicis alere, & illis ſuas legationes & negotiationes magis ſerioſas & graues demandare? At illi mihi in aurem obmurmurabant, breui magnum & pulcherrimum facinus conficient, Ex quo facilè colligebam Cauſſam in ſuo ſinu tanquam in vagina reconditos habuiſſe latrones & Sicarios, à quibus magis principibus quã priuatis timendum eſſet. Denique illos intelligebam vndique colligere homines, feroces, audaces, & manu promptos ad ſcelus perpetrandum, & cum expiſcarer cui bono atque vſui hæc hominum monſtra atque portenta eſſe poſſent Cauſſæ? Nihil aliud reſpondebant, quàm *C'eſt pour faire vn bon coup*. Illi intereà dé noſtro victitabant, & alebantur, futuri aliquando cauſſa noſtræ ruinæ atque excidij. Nam quod ad me attinet vix euaſi horum ſicariorũ manus. Nam cùm iſti Cauſſarij impetrare nõ potuiſſent, quod maximè contendebant, vt Rex apertum bellum Hiſpano indiceret, duos quorum alter ex aſcendentibus,

alter ex tranſuerſalibus Regi proximior erat, quòd illos impediuiſſe, quò minus id à rege obtineretur, putarent, tollere per ſicarios ſuos & per inſidias inſtituunt. De qua re cum quædam verba leuiter in vulgus ſparſiſſent, & de ea re conuentum ſecretiſſimum & abditiſsimum ex prima no bilitate illos velle habere accepiſſem, perſuaſi multis patriæ noſtræ nobilibus, cum quibus mihi intima amicitia erat, ne huic conuentui adeſſent, & ne ſe ex conſilio Salomonis admiſcerent hominibus ſeditioſis, quòd propè ſit illorum interitus. Cũ illi me ſuadente adeſſe recuſaſſent, & me authorẽ ſui conſilij ſatis leuiter nominaſſent, nullo tamen animo in me malo inductì, me in ſummum periculum coniecerũt imprudentes, Nam Cauſſarij re cognita, quòd me vnum valdè ſibi in aliis cauſsis quæ ad Cauſſam promouendam pertinerent, obeſſe intelligerent, meam necem vni ex illis latronibus, quos in perniciem publicam & bonorum omnium noſtra pecunia ſaginabant, demandant. At ille poſtridie putans me à prãdio ſolum, vti ſolebã, ſcripto dantem operã clientibus offendere, fortè me inter primam & ſecũdam à

meridie propter meas multas matutinas occupationes tardiùs prandentem cum meis domeſticis & quibuſdam meis clientibus offendit, itaque re infecta & furore ſuo compreſſo abiit. Olthacus à Mithridate miſſus vt Lucullum ſpecie amicitiæ interficeret, ad Lucullum, quòd meridie fortè ea die dormiret, admiſſus non eſt. Somnum itaque meridianum ſcribit Plutarchus Lucullo ſaluti fuiſſe, ſic prandium illud pomeridianum me ſeruauit. Nam ſi hora cõſueta diſcubuiſſem, Cauſſarij me grauiſsimo aduerſario liberati fuiſſent. Qua re cognita per Paulum Tholoſatem, qui me amicè admonuit, vt ſi ferrum effugiſſem, à veneno in poſterum mihi cauerem, cùm has inſidias in publicum proferre conſtituiſſem, idem mihi denuntiauit in tanta ſicariorum licentia, tutius mihi eſſe tacere & mihi cauere, quo timore & minis percitus à querela ea de re inſtituēda deſtiti. Cùm iſti Cauſſarij ſicarios & latrones diuitiis explerēt, ſcelerati quique ad illos confluebant, partim ſpe prædę & rapinarũ, ſi bellum inteſtinum quod parabant, exarſiſſet, partim etiam cupiditate præſentis pecuniæ, quæ prȩſto erat o-

mnibus qui audacia facinora & cędes per inſidias pollicerentur. Nõnulli ex noſtris hiſce rebus illecti, vel aliàs gratuito mali, quòd paupertatem veræ religionis comitem eſſe viderent, à nobis dilabebantur, & perditis Cauſſariis ſe adiungebant. Illi præcipuè à nobis deficiebant, quorum vita erat contaminata, & qui reprehẽſiones noſtrorum miniſtrorum æquo animo pati non poterant. Sed illorum hominum iacturam nos ſatis moderatè ferebamus, & dicebamus quod olim dixit eccleſia Angliæ de Cadbaldo Anglię Rege, qui, quòd increpationes piorum Epiſcoporum propter ſua peccata publica ferre non poſſet, ſe ad Idola tranſtulerat, non Eccleſiæ, ſed ſibiipſi nocuiſſe. Síc que Cauſſa indies malis & perditis augebatur & creſcebat. Imprudentes etiam multi viri boni in Cauſſam illam impingebant, putantes in ea nihil tractari, quàm de plena Eccleſiarum libertate, cuius Ideam quandam ſibi affingebãt iſti Cauſſæ miniſtri, & illam vti rem plauſibilem populo exhibebant. Et faciebant vt Simonides, qui cùm mulas laudabat, equorum qui eas procreaſſent, nõ aſinarum faciebat mentionem. Sic iſti li-

bertatem Euangelij,ex quo bono principio nata eſt hæc peſſima Cauſſa,in aperto proponebant, factionis verò & conſpirationis,quæ libertatem illam Euangelij inquinauit & corrupit,nullam faciebāt mentionem in ipſo limine Cauſſæ. Et itaque multi ſimplices & rudes,vel incerti conſilij & qui varia animo voluebāt, prima illa facie pulchritudinis & ſpecioſo nomine libertatis allecti, tanquam tendiculis capiebantur & ineſcabantur. In iſta libertate Chriſtiana, quam nos verè & purè,illi per ſimulationem & ad ſcelus profitebantur,nobis accidit,quod ſponſæ (de qua loquitur Plutarchus in amatoriis narrationibus)quæ dum à marito domum duceretur ab amatore apprehenſa eſt, & dum vtérque illam vi ad ſe trahit, miſera illa diſcerpta eſt. Sic nos veri ſponſi libertatem Euangelij, vt illa vtamur, ad nos trahebamus, Cauſſarij quoque illā ad ſe rapiebāt, vt illa abutantur & ſcelera ſua obumbrēt. Tandem libertas illa lacerata & labefacta concidit, & nulla nunc eſt in Gallia. Quod accidiſſe non noſtra culpa, ſed horum Cauſſariorum nequitia, docere hac epiſtola conſtitui, & me tibi probaturum

à principio epiſtolæ dixi. Itaque,vt planè nos omni ſuſpicione ſeditionis liberos,& omni culpa vacuos eſſeputes,Scito in iſtis noſtris contentionibus cũ Cauſſariis,quæ multæ,variæ,& acres fuerunt,nos ſemper pro pietate & tranquillitate propugnaſſe, & in eo ſedulam nauaſſe operã, vt omnes ſeditionum flãmæ,quas identidem cauſſa incendebat,extinguerentur. Vti Auſter colligit nubes, Sic CAVSSA tumultus & ſeditiones. Vti Aquilo diſsipat nubes,ſic nos illorum impios conatus diſsipabamus & proſcindebamus quantum poteramus, Et in eam rem nihil pręter mittebamus,& nulli rei parcebamus, ad bellum & perniciem Regni,illi euigilabant: Nos contrà paci & Saluti publicæ dabamus operam. Et in eo nobis erat aſperrima & acerrima contentio cum illis; vt bellum, quod illi omni ratione parabant, diſſuaderemus & impediremus. Sapiẽtiam Ethnicorum eis proponebamus, qui tunc ſolum voluerũt ſuſcipi bella,cùm decipimur,cogimur,aut ſpoliamur.Sed tantum abeſt vt eo prætextu arma in Papiſtas arripere poſsimus,vt ſi res (vt dicitur) ad calculos veniat, multò maiorem eo nomine belli nobis inferẽdi

cauſſam habituri ſint. Idem philoſophi pu tarunt Bellum rem planè belluinam, nun quam ſuſcipiendum, niſi vt pax ſecurè co li poſſit. At Cauſſa bellum renouare vult ad euertendam pacem & quietem publicam quàm maximam. Antiquitas ſapienter conſuluit omnia ferenda eſſe potius, quàm ad arma Ciuilia veniatur: & eos maximè laudauit, qui cùm arma illis oblata eſſent, maluerunt ire in exilium, quàm ſua cauſa fundere ciuilem ſanguinem. Atqui Cauſſa ex ſummo otio quo fruitur, furore acta ad Gallorum necem erumpere geſtit, non prouocata, nulla iniuria laceſſita, cædem Gallorum videre cupit quouis iure quauis iniuria, voluntatem ſolam atque libidinem ſuam pro iuſti belli cauſſa tantùm proponit. Quāuis omnes Theologi bella non ex voluntate ſed ex neceſsitate ſuſcipienda eſſe putent, neque tam ſæua & atrocia remedia, niſi vbi ſæua neceſsitas premit, adhibenda exiſtiment. Sed nihil Cauſſam premebat, nulla re alia laborabat, quàm nimio otio, & (vt verbis Euſebij vtar) pace luxuriabat eccleſia. Deſtituta Cauſſa prætextu aliquo belli iuſto, nihilominus bellum

inſtrue-

inſtruebat, idque neque authore Deo, neque magiſtratu permittente: quod genus belli ex legibus militaribus, non bellum, ſed latrocinium eſt appellãdum. Priuatorum arma nefaria ſunt, niſi magiſtratus authoritate vel nutu tegantur. Dũ vixit Princeps CONDEVS, illius nomine res velabatur, exemplo Abrahami, qui quòd priuatus ſuos armaſſet, eo nomine excuſatur ſatis frigidè, quòd fœdus cum Eſcol & Membre petentibus Principibus percuſsiſset, & illorum auſpiciis armaſset milites. Sed Condæo mortuo, authores belli nefarij allegari non poſſunt boni & inocentes Principes illi ſuperſtites. Nã illi ætate minores, cùm in rebus ſuis priuatis aliena authoritate egeant, authores aliis eſſe non poſſunt. Beneficio enim ætatis, & excuſationis & reſtitutionis remediũ ſemper illis patet. Et ipſe Princeps Condæus ſi viueret ad bellum voluntarium & nefarium ſuſcipiendum, authoritatem ſuam vobis nunquam accommodaret. Iam ipſe cognouerat noſtræ Cauſsæ impoſturam & nequitiam nomine religionis anteà illi tectam, & celatam. Et ideò bonum illum Sathanæ miniſtrum iſtuis Cauſsæ pri-

mum inuentorem odiſſe & deteſtari incipiebat, Et ideo illum denunciata Condæi morte gaudiò exultantem vidi, quòd cognoſceret Condæo mortuo, ſummam rei ad eos peruenire, qui ſceleratis ſuis factionibus & ipſi cauſſæ plus æquo fauebant, & quòd intelligeret Condæum à Cauſſa animum reuocaſſe perſuaſione pii & optimi viri Parocelli, cui, vti omnibus viris bonis, ille inimicus erat infenſiſsimus. Condæum morientem, ſi licuiſset, filio & nepoti dicturum fuiſse puto de iſtis Cauſariis, quod Iuſtinianus iunior moriens Tyberio Cæſari à ſediſignato dixit, iſtis, (conſiliarios ſuos adſtantes demonſtrans) ne credideris, ne parueris, nam illi ipſi in eas quas cernis ærumnas me coniecerunt, Multis aliis rationibus conabamur, Porte, extorquere arma è manibus ſeditioſorum, & interdum aliquid, & ad tempus proficiebamus, ſed continuò audiebamus eos leuiſsimam aliquam occaſionem ſibi arripuiſſe tumultus. in aliquibus locis magiſtratum contra Edicta pacis ius dixiſſe, & ideò Regem ipſum & omnes papiſtas oppugnandos eſſe, & ita in eam rem à per-

ditis ſuis miniſtris incendebantur, vt ad manus plerunque ventum eſſet niſi nos accurriſſemus, qui multa falſa ſpargi in vulgus contra magiſtratus dicebamus. Nec etiam ex vnius vel alterius magiſtratus culpa vaſtari Galliam, neque deturbari Regem innocentem ex ſolio ſuo tam temerè oportere docebamus. apud maiores ſæpè in hanc partem peccatum fuiſſe. Nanque multæ perſecutiones olim Chriſtianis infligebātur à præſidibus prouinciarum,& nominatim à Præfectis Galliarum, vt teſtantur hiſtoriæ, contra voluntatem Principum, etiam piorum, Et multi viri boni ſic opprimebantur. Sic Marinus nobilis miles truncatus eſt propter religionem Chriſtianam Cæſareæ, contra voluntatem Galieni imperatoris, ſub quo pax alma fuit eccleſiis. Sic etiam multa indignè patrata ſunt per magiſtratus contra Ambroſium neſciente Arcadio. Illa peccata magiſtratus, non vi aperta, non tumult, ſed via iuris corrigi debere dicebam, & iuſticiam iuſticia peti oportere, maximè à Principe ad eam propenſiſsimo. Illa ſeditione

pacata, allia de improuiſio ſuboriebatur. Affingebant aliquid ad ipſo Rege factũ, quo edictũ pacis eneruaretur, Regi ignes, fulmina vaſtationemque regni minitabã-tur, ad arma iam concurrebant. Nos de ea re prius conueniendũ regẽ putabamus quàm arma pararentur, Et docebamus Reges interdum ſeruire populo, & multa fácere inuitiſsimos & coactos, qua in re nemo nunquam ſanus & æquus Reges in-cuſauit. Ludouicus Pius eccleſiæ patronus appellatus eſt, ille tamen Nicephorum patriarcham hominem pietate & ſancti-tate vitæ conſpicuum, & ſibi chariſsimum exulare iuſsit, quòd non placeret populo cui reſiſtere non poterat ſine cæde & dã-no publico. Poſteà dicebant, ſe, cùm ſa-cras conciones adirent, cachinnis & di-cteriis à plebe papiſtica exagitari, & ea cauſ-ſa faſces arripiebant ad incendendam ſe-ditionem, & in eam rem præſto erant mi-niſtri, qui illos ad furorem impellerẽt. qui quaſque iniurias vel leuiſsimas ſanguine atque cruore lui oportere concionaban-tur, alieni omnino à manſuetudine atque æquanimitate Euſebij Samoſatenſis, qui ab Arriana muliere iactu tegulæ letaliter

vulneratus, omnes ſuos vindictam expetentes compeſcuit, & moriturus amicos iure iurando adegit, nequam à fœmina ea pœnam exigerent. cognoſcebat enim vir pius aliquando eos qui leuiſsimæ iniuriæ vindictā acrius perſequantur, in magnas ſeſe conieciſse calamitates, & magnas ſtrages in caput ſuum excitaſse. Sub Cumano Præfecto Iudææ, temporibus Claudij, quòd quidam miles Romanus reductis turpiter veſtimentis, poſteriora conuertiſset ad templum Iudęorum, Id volentes Iudæi vlciſci, ſeditionem in Romanos excitarunt, quæ ita malè eis ſuccesſit, vt decē millia Iudæorum in ea ſeditione occubuerint. Denique ea leuis iniuriæ fruſtrà tentata vltio, cauſſa fuit generalis perſecutionis per totam Iudæam atque Palæſtinam. Cauſsæ miniſtri vulgò iactabant prouerbium commune. fac te ouem, lupus te deuorabit, olim ſe eſſe trucidatos à Papiſtis, quòd inſtar ouiū māſuetā & quietā vitam agerent: nunc hunc diem, aliam vitam, alios mores poſtulare. prouocandos Papiſtas, nullas iniuriarum minas inultas relinquendas, aliquid quotidie præterdictum pacis tentandum & audendum, quò per

vſurpationem ſenſim propagaretur libertas eccleſiarum. Nos contra, intra leges & cancellos Edicti ſeſe continere, modeſtia Christiana dignum eſſe ducebamus & veræ libertatis Chriſtianæ. Nam vt quidam ex antiquis Theologis dixit, maxima libertas Chriſtiana, eſt ſeruire legib⁹. Denique illis temerariis conatibus præter & contra Edictum, nos indignos ipſo edicto reddi, tanquam infractores conuentionũ particulatim initarum cum Rege, & etiam vti violatores pacti illius generalis, quo Auguſtinus dicit, omnes homines obſtrictos eſſe obedire Regibus, quod nos Chriſtianos ſupra omnes alios homines maximè facere decet cum omni manſuetudine, & ſine aliqua ſuperbia atque proteruia. & in perfecta humilitate, vt loquitur Gregorius. Eccleſia Alexandrina, quòd tentaſſet progredi vltra libertatem ſibi datam, inſolentior facta temporibus Valentiniani, ita depreſſa eſt & aflictata, vt coacti fuerĩt Chriſtiani à Paganis Idolis ſacrificare, quòd Deus ſua benignitate à noſtro ſæculo prohibeat. Chriſtiana libertas olim ſẽper data eſt ab imperatoribus ea lege, vt Chriſtiani pacificè viuãt, modeſte ſe gerãt

nihil contra leges & diſciplinam publicã moliantur. Ita concœperunt Edicta ſua de libertate Chriſtianorum & Iudæorum Auguſtus, Tyberius, Caius Traianus, Antoninus pius, Maximinus, & alij Imperatores, & eo nomine antiqui Chriſtiani commendantur à Plinio atque Sereno in epiſtolis quas ſcripſerãt ad Imperatores Traianum & Adrianum, quòd omnia ad legũ ſententiam atque conformitatem facerẽt. At vbi Chriſtiani tumultuari, edicta contemnere, in leges peccare incipiebant, cõtinuo illa Edicta de libertate Chriſtiana immutabantur, Tunc in illos neces, cruciatus, vaſtationes, direptiones, laniatus, dilacerationes, exuſtiones, laminæ cãdentes, præcipitationes, eculei, excoctiones in craticulis, & alia eiuſmodi indicebantur, Et priuati libertate, digno ſeruitutis iugo exercebantur. Et quòd furore ſuo illas ſibi calamitates accerſiuiſsent, nemo illorum miſerebatur: Quia, vt quidam ex antiquis dixit, Seditioſos punire, non eſt effuſio ſanguinis. Cyprianus loquens de perſecutione ſub Decio, quam Chriſtianorum rebellio atque ſeditio in caput ſuũ excitarat, ita illos alloquitur. Perſecutio ex

peccatis veſtris venit:Superbiam ſectabamini.verbis ſæculo, & non factis,renũciabatis,ſeditioni &diſſentioni vacabatis.vapulamus igitur vt meremur.Hæc cùm illis Cyprianus dicit, vobis Cauſsæ addictis dicit, qui vos & nos veſtra legum & Edictorum violatione, & in quietem publicã & in Regem facta conſpiratione, in has calamitates precipitaſtis,quas vosiam diu accelerari cupiebatis, niſi veſtrum furorẽ aliquãtulum retardaſsemus. Nã cùm aduenißset Rex NAVARRAE & Princeps Condæus in aulam, ex lacu illo nobis funeſto, & ex quo,tanquam ex Memphiti ſemper exhalant mala, adferuntur literæ, quib⁹ ſignificabatur ſingulis Eccleſiis aduentu tantorum principum Cauſſam planè adoleuiſse, & tempus eſſe, vt omnes Eccleſiæ animum attollãt, & ſeſe intra vrbes cùm armis recipiant,&cõciones intra mænia contra edictum habeant.Acceptis & euulgatis illis literis, omnes cum telo concionibus adeſse iubentur, Dum executionem eiuſce rei tàm periculoſæ iam adornaret, accurrimus, &,vt tantam calamitatem,nominatim in Eccleſia Pariſienſi auerteremus, rogauimus miniſtros vt

tam peſtiferi conſilii perniciosum euetũ, in vna hiſtoria Ambroſij, tanquam in ſpeculo ſpectẽt: dux Gaina magn⁹ exercit⁹ ſub imperatore Arcadio, illud ipſum quod vos nunc conamini, tentare voluit, Et Arrianos quorum ſectæ addictus erat: & quibus intra vrbis Conſtantinopolitanæ mœnia conuentus habere non licebat publicos, intra vrbem introducere voluit: quod diceret, non decere ſe tantum Ducem ex tantis expeditionibus bellicis nouiſsimè aduentantem, extra mœnia Vrbis oratum ire. Ex ea re & temeraria & inſolenti, Gaina in ſuſpicionem venit ſeſe affectare tyrannidem: & magnorum tumultuum & contentionum cauſsa fuit, teſte Ambroſio. Itaque, ne in vtrunque hoc malum impingeremus, diſsuaſor fui huius temerariæ & periculoſæ executionis: quã dum pretexebant aduentu tantorum Principum, illis inuidiam concitabant. interea re illa intermiſſa, dum ſeſe continent à vi aperta, non tamen interea conquieſcunt. Nam inimicitias inter Regem & illius fratrem Andegauorum DVCEM diſſeminare ſtudẽt. Et quia in ſeditioſorum auribus ſemper eſt ſonitus timoris, coniunctionẽ illam

animorum inter duos fratres, valdè ſuſpectam eſse ſuæ Cauſsæ dicebant: Ex fratrum diſcordia, ſummam fore Eccleſiarum tranquillitatẽ & pacem dicebant. Id niſi accidat, omnia eccleſiis ſiniſtra futura eſſe docebant. Et tamen ſcripum eſt à Propheta, Principum pacem, noſtram pacem eſſe: Et hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtantur, nunquam tàm miſerè afflictatas fuiſse eccleſias, quàm cùm fratres Principes bellum & odia inter ſe exercerent. In Hiſpania temporibus Sarracenorũ, vt teſtatur Nicephorus, propter bellum, quod fuit inter duos fratres, eccleſiæ quàm maximam calamitatem ſenſerunt. In Gallia temporibus Caroli Calui & Ludouici fratrum dum fratres inter ſe hoſtili animo confligunt, omnes eccleſiæ per Galliam & Lotharingiam vaſtatæ fuerunt. Sed hoc inquieti homines & à pace abhorrentes, animo concipere non poterant, tanto odio flagrabant in Regem & Galliæ tranquillitatem. Calumnias in Regem, Reginam matrem & Conſiliarios ſpargebant. Illorum iniuſticiam publicè incuſabant,

quo populi animum facilius à Rege diſtraherent. Regem, quòd non auderet publicè & palam edictum Pacis euertere, id clanculum & per literas facere, & imitari Baſiliſcum perditum impreratorem, qui, quòd Chalcedonenſem Synodum publicè impugnare non audebat, miſsis circularibus literis ad magiſtratus, Synodum iugulabat. quod quàm falſiſſimum ſit in noſtro Rege, nemo neſcit: & tute Porte, cùm aduenisti in Gallias, vbique pacem & quietem conſeruari à magiſtratibus vidiſti. Et in Aula nos ſummo perfruentes otio & honore offendiſti. Sed iſta maledicta in Regem & in ſuos Conſiliarios, artes ſunt peruetuſtæ ſeditioſorum omnium, qui populares videri volunt, dum iniuſticiam & oppreſsionem Regum & Gubernatorum incuſant, & ſeſe miſereri populi ſimulant, vt illis conflent inuidiam. Ita Cæſar, ita Catilina, ita Abſalon, ita omnes ſeditioſi & perditi ſuas factiones per populum ſparſerunt. Horum hominum maledicta in Regem, reginam, & regium ſanguinem perpetua, & illa atrocia. Et quia apud illos malè

de Rege obloquentes, tacere & non aſſentiri, peccatum erat, & Regem velle defendere, piaculum; Ego & VABREVS noſter vir ſuauiſsimus, vt effugeremus rixas, conuentus & conſuetudinem horum hominum refugiebamus. maximè quòd animaduerteremus multos etiam ex Cauſarijs iſtis ſuſpectos fuiſse, & penè cauſsa cecidiſſe, quòd nimis moderatè Regi maledicere viderentur. Miniſtrorũ verò quo maior erat petulãtia eò etiam maior licẽtia erat in conuitijs in Regem & regium ſanguinem euomendis. In quos ſic debacchantes cum aliquando incidiſsem, retuli verba ex epiſtola quadam Valentiniani imperatoris ad Epiſcopos Diœceſis Aſiæ & Phrygiæ. Vbi dicit, iſtis notis agnoſci & ſecerni bonos & fideles epiſcopos à perditis. Precibus bonorum, bella ſedantur in terris: potentiæ imperatoris non obloquuntur, & illius legibus ſubijciuntur. Si vos bellorum & ſeditionum nutriculæ, & qui putatis nullum tàm atrox maledictum quo in Regem vti non liceat, & qui legibus vos ſolutos, nulla lege teneri putatis: ad Cenſuram Valentiniani veniatis, reporiemini, quòd verè eſtis, non Dei, ſed Sa-

thanæ miniſtri. Sed furioſos homines, & qui animum ſuum in poteſtate ſua non habebant, non pijs aliquibus rationibus quibus ſe regi non patiebantur: ſed metu illis propoſito & illato, ita illos interpellabam. Nonne noſtis Reges multos oculos & multas aures habere. Nonne ſcitis ab antiquis dictitatum, in cogitatione ne maledicas Regi, vocem aues cæli ad eum déferent. Nonne ſuſpicamini Regem, vbi vos abuti tandiu mimia ſua patientia ſenſerit ad iram (quæ in Regibus nuntius mortis eſt) erupturum? Nonne legiſtis Reges vel leuiſsima populi irriſione commotos, crudelitates quàm maximas exercuiſſe? Antoninum referunt hiſtoriæ in Alexandria omnem coegiſſe iuuentutem, & per milites trucidari iuſsiſse, quòd Romæ audijſſet dicterijs in patrem & illum luſsiſe, & ſeſe riſui habuiſse. Quòd, cùm exiguæ ſtaturæ eſſet, geſtu & inceſſu Alexãdrum æmulari vellet. Anaſtaſius imperator Heliam epiſcopum Hieroſolymitanum vti reum læſæ maieſtatis damnauit, quòd ſolùm accepiſset, eum ſuas actiones deriſiſse. Sed vos, qui non ſolùm ſcommatibus & facetiis Regiam Mageſtatem

petitis, ſed acerbiſsimis & atrocibus conuitiis honorem ſuum ſuæque gentis & familiæ deformatis, & per contemptum & ſuperbiam ad excitandam ſeditionem contumelias in eum aſsiduè iactatis, putatiſne illum has iniurias ſemper concoquere & pati poſſet Non faciet, credite. Et ſi id faceret, in commmoda publica & authoritatem ſuam peccaret. Huiuſmodi enim lenitas in perditos & diſſolutos, homines, teſtmionio Philoſophorum, in bonos eſt crudelitas. Manſuetudo enim quæ cum iuſticia coniuncta non eſt, virtus non eſt principe digna, vt dicebat Archidamidas in Charillum, qui eo nomine laudabatur, quòd pariter erga cunctos fuiſſet mitis & manſuetus. ITA illis iram Regis & futurum exitium prædicabam, vt illis timorem aliquem inijcerem. Sed inanis erat mea opera. Nam illi ea re audita, ſuperbè & cum ſupercilio diem illum quo GVISIVS à Poltroto vulnus accepit, mihi pro reſponſo apponebant. Quem diem illi iactant & prædicant, vt BRVTVS ſuas Calendas Martias, & Cicero ſuas nonas Nouembreis oſtentare ſolebat. Et adijciebant, omnes

Poltrotos non eſſe mortuos in Gallia. Quo verbo Regi idē gen⁹ mortis per inſidias minabantur. idque per audaces & feroces latrones,quos in hos vſus in Cauſſæ viſceribus fouebant , & per eoſdem ſicarios per quos Regi Guiſium brachium illius dextrum ſuſtulerant , ipſum quoque Regem tolli poſse, apertis verbis ſiginficabant. Quas horrendas voces cùm audire cœpiſsem , de quiete & tranquillitate eccleſiarum Galliæ deſperaui, & apertè tunc dixi , quod olim dixit Cato,cùm perniciem quæ ex ſeditione Catilinæ inſtabat , præſentem eſſe vellet dicere . Calamitas ſupra caput noſtrum eſt. Olim Eccleſiæ libertate ſua priuatæ ſunt & perſecutionem paſsæ propter leuiſsimas coniurationis & ſeditionis ſuſpiciones & quòd Reges ſibi & regno ſuo Panico quodā timore metuerēt.Hīc illa perſecutio & crudelitas horrenda Herodis, quòd de regno ſibi aufferēdo falſò in ſuſpicionē veniſset·Eodē etiā inani timore perciti Titus & Veſpaſianus omnes ex Rogia Iudæorū crudeliſsimè extīgui iuſſerūt. Sic etiā numerus Chriſtianorū ſine aliqua coniectura ſuſpectus cœpit eſſe Traiano,

& ex eâ ſuſpicione nata eſt maxima eccleſiarum perſecutio. Licinius quoque leui & ridicula ſuſpicione permotus, quòd ſuſpicaretur Chriſtianos non pro ſe, ſed pro Conſtantino orare, eos grauiter afflictauit. Hæc ſi illis acciderunt innocentibus, & qui tumultus cogitatione ſola nunquam meditati erant, quid de nobis futurum putamus, quorum conſpiratio & factio oculis & manibus Papiſtarum penè conſtricta tenetur? qui arma tractamus publicè, qui clanculùm fœdera cum extraneis in caput Regis & regni inimus? qui maledictis & execrationibus Regem impetimus? qui illi mortem & Regno ſuo exitium apertè denunciamus, incendium ruinam, vaſtationem paramus: & minitamur? Hoc vnum ſemper me vereri dicebam, ne accidat nobis propter CAVSAM, quod olim Aſpari & Arburio ducibus belli ſub Imperatore Leone accidit. Illi, cum Leoni paraſsent inſidias, & illum tollere in animo haberent, veriti ne ſcelus ſuum detegeretur, ad illud accelerandum his vocibus conſcios ſui ſceleris adhortabãtur, Prius Leonem deuoremus, quàm ille ſibi nos prandio apponat. Quare per Leonẽ

cognita,

cognita,illos per Zenonem ſummo mane necari iuſsit. Sic Leo præoccupatis inſidiis & intercepta proditione, illos ſibi non prandio (vt illi vaticinabantur) ſed ientaculo appoſuit. Et quia in ſeditionibus & factionibus, Deus ſolet eſſe Clypeus Regum, futurum præſagiebam, has factiones ſeditiones, & inſidias Cauſſæ, in caput ſuorum authorum recaſuras. Quid acciderit ſummo illo mane Bartholomæi Lutetiæ, ex aliis te accepiſſe ſcio. Quid autem nouiſsimè Cauſſarij machinati fuerint, quo Regis animus tam grauiter offéſus & tam ſubitò incenſus in illos fuerit, ignoratur. Hoc vnum ſcio, in corpore illo nefariæ Cauſſæ tot à multo tempore malos proditionis & ſeditionis congeſtos fuiſſe humores, vt impoſsibile fuerit diutius Cauſſam illam tam malè affectam viuere atque ſtare. Sed hoc vnum maximè in hac calamitate deflendum eſt, quòd cum perditis quàm multi ex noſtris occubuerint, paucis ereptis, quibus ego author ſum in hoc exilio & in hac perſecutione, vt imitemur antiquos Chriſtianos, qui in illis anguſtiis, quibus nos nunc premimur, conſtituti: teſte Epiphanio & Iuſtino in Apo-

logia ad Antoninum,pugnam refugiebāt, oratione & piis cogitationibus ſeſe ſuſten tabant:non factionibus,non ſeditionibus ſeſe vlciſcebantur, amiſſam pacem eccleſiarum non armis, ſed precibus obtinebant. Hæc imitari nolunt perditæ illius & fractæ CAVSSÆ, quæ ſuperſūt reliquiæ. Nolunt adire Regem ſuppliciter, & illi di cere,quod dixit Eccleſia Conſtantinopolitana cum Ambroſio ad pacandum iratum Imperatorem. ROGAMVS, Auguſte,non pugnamus. Sed contrà, membra illa ſua manca & mutila inſtar ſerpentis diſſecti,adſeditionem commouere adhuc parant. Et Cauſſam illam ſuam perditam & nefariam adhuc reparare geſtiunt,prætextu religionis, quam nullam habent, & ſpecie libertatis Chriſtianæ,quam cùm ha berent,perdere maluerunt, quàm aliquid de factione & Cauſſa ſua remittere.Illæ ra tiones bellicæ quæ ab illis inſtituuntur,eò pertinent,vt nobis infenſum Regem,magis in nos exaſperent,& eò illum adigant, ut iram in odium noſtri perpetuum convertat:quod nobis ne accidat,omni ratio ne præcauendum eſt. Egeſippus narrat nepotes quoſdam Iudæ Domitianum ira-

tum & exacerbatum Chriſtianis, adiiſſe, & illi demonſtraſſe, Regnum Chriſti non mundanum & terrenum eſſe, ſed cœleſte & angelicum, & ſeſe illius ſectatores, non arma, non gladios, non bella, non conſpirationes tractare, ſed tantùm orationes & preces, & pacificam & quietam vitam agere. Qua re audita à Domitiano, & ſuſpicione omni liberatus eſt, & de Chriſtianis benè ſẽtire cœpit, & illis æquior & mitior factus eſt. Ita etiam adeũdum Regem puto ſuppliciter & abiectè, ſine aliqua cogitatione atque meditatione armorũ & vindictæ; & ea ratione ſpero nos in libertatẽ Chriſtianam, de qua Cauſſa nos deiecit, reſtitutos iri à Rege, quæ eſt illius humanitas atque clementia. Ita mitigatos fuiſſe iratos imperatores ab antiquis Patribus, legimus: qui non armis, non manu amiſſam libertatem vindicarunt, ſed orationibus, precibus, ſcriptis ſeſe Principibus expurgarunt, & illos ex infenſis beneuolos ſibi reddiderunt. Quadratus & Ariſtides Adrianum ardentem in Chriſtianos mitigarunt ſuis orationibus, libris, & apologiis, & edictum in gratiam

Chriſtianorum ab eo obtinuerunt. Sic Iuſtini apologia ad Antoninum Pium tantùm valuit,vt imperator edixerit,ne Chriſtiani moleſtarentur. Apollinaris Hieropolitani apologia idem impetrauit Chriſtianis ſui ſæculi à vero. Themiſtius dedicato libro Valenti,eum pacauit, & eum eo adegit,vt pœnam mortis in Chriſtianos, in exilium mutarit. Comparentur noſtra tẽpora cum illorum temporibus,noſtra bella,noſtri exercitus,noſtræ obſidiones,vaſtationes,depopulationes,& factiones cõtra Principes. Religionis cauſſa dum Chriſto armis viam aperire conamur, nihil profecimus: ſed omnia cruore, crudelitate, mœrore & miſeria oppleuimus. At illi antiqui patres,precibus,orationibus, modeſtia,patiẽtia,ſcriptis ſuis & apologiis quod tentabant,effecerunt: & pacatis principibus,eccleſiis ſuis quietem, trãquillitatem, obtinuerunt. Pios illos & ſanctos viros, bonus veſter paſtor, qui ATHEISMVM in pectore,& Chriſtum in frõte gerit,imitandos non putat. Ex naufragio Cauſſæ tabulas colligit,vt ſeditionem nouam cõponat. Cauſſæ ſuperſtites grauiter increpat, quòd Principes Galliæ, ſæpè ab illo

antea ad necem notatos atque deſigna-
tos, non occiderint. Bono tamen animo
interea illos eſſe iubet. Germanorum, An-
glorum, Heluetiorum operam illis polli-
cetur. Nomine enim Religionis, quàm
præſeferunt iſti ſcelerati Cauſſarij, non e-
rubeſcunt ad ſcelus ſuum ſollicitare Ger-
manos & Heluetios, ſuæ nequitiæ & pro-
ditionis adhuc ignaros. Illos omni ratio-
ne adiungere ſibi parat, bonus ille veſter
paſtor, per nuntios, per literas id agit, id
conatur, & totus in eo eſt, ídque ſatagit, vt
nos perditos iterum perdat. Tu illi incen-
diario, tu illi furiæ, meo nomine denuntia
vt quieſcat. Et, in id faciat, breui (Deo per-
mittente) futurum, vt omnes Principes &
Reſpublicæ, quæ religionem noſtram pro
fitentur, detecta Cauſſæ proditione, &
Cauſſariorum cóſpiratione, qui ſpecie re-
ligionis & libertatis Chriſtianæ, omnes
Status Regnorum & Rerumpublicarum
exagitare & euertere conantur, ad illos
Cauſſarios opprimendos arma arripiant,
veſtram ciuitatem Abel, receptaculum,
Cauſſariorum omnium & ſeditioſorum,
factionum & conſpirationum officinam,
obſideant, à qua obſidione non liberabi-

tur, niſi proiecto ex muris capite SEBÆ, Principis Seditioſorum, qui& à Rege Dauide defecerat, & populum à rege deduxerat. Qui SEBA ſi literas nominis & rem attendas, verè veſtri Pontificis typus fuit. Qui etiam, Deo fauente, breui eundē fructum ſuarum conſpirationum, proditionum, & ſeditionum feret, quem ipſe Seba, & dignum factis & moribus ſuis exitum habebit. Et nos tandem illo ſublato, & authore Cauſſæ extincto, & ipſo capite Cauſſæ truncato glorificabimus Dominum. Et pacata ea expiatione Dei & Regis ira, eccleſias noſtras mundas & puras ab omni Cauſſæ contagione reponemus & reſtituemus. Et tu quoque, Doctiſſime & ſuauiſsime PORTE, Græciæ ornamētum, relicto ſolo auaro & CRVDELIBVS terris, ad Patronam tuam Duciſſam FERRARIENSEM, quæ ſemper puram religionem nobiſcum coluit, & Cauſſam deteſtata eſt, te adiunges. Et nos vnà recreati ex tantis miſeriis, & expurgati malis illis humoribus Cauſſæ, publicè confeſsionem eam fidei faciemus, quam feciſſe olim dicitur Conſtantinus. cùm de fide interrogaretur ab Acholio Epiſcopo,

SE FIDEM ampleсti,quam Eccleſiæ in Illyrico, Arriano dogmate nondum infe-ctæ,obſeruarent: Sic nos eam fidem,quam eccleſiæ Galliæ,tetra illa peſte atque tabe CAVSSÆ nondum pollutæ tenebant, cum ſumma fiducia & alacritate profitebimur. Quod Deus nobis concedat per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,quem etiam oro, vt te ſanum & incolumẽ cum tota tua familia conſeruet. Et te & omnes pios à malo CAVSSÆ defendat. Vale, & nos,vt facis,ama. Argentinæ. 15. Cal. Octob.

FINIS.